

077

075

081

071

086

066

126

026

176

576

Ende

Anfang

implexi potest, si tamen quis habuerit Apostolorum fidem, et talem, qualem illis habendam Dominus imperavit. Quid enim interest, utrum mons descendat in mare, an immensi undarum montes repente obrigerint, et an senis tantum pedes saxei ex alia parte molliter fluxerint? Ecce, quam firmiter stat Evangelii promissio!

Faber (D) ergo ille miraculo divisionis montium populum Christi a multa tribulatione liberavit, ut dictum est. Et in parte montis a toto divisa stat castrum domini Soldani. Ascendimus ergo in medium illud, causatum, inter utrosque montes, et ad unam pulchram mosecham venimus, inter medium montium stantem. Vidimus autem contra nos venientes multos Mamaluicos in equis, qui de monte ex opposito castri per praeceps descendenterunt ad docendum equos per praecipitia descendere cum homine insidente. Statim autem ut Mamaluicos contra nos venire vidimus, de asinis nostris cecidimus propter reverentiam, quae debetur talibus, ut dictum est Fol. 18. A., et ita in terra stetimus, quo usque totus exercitus pertransivit, nec fuit, qui nobis verbum molestum inferret, cum tamen formidulosi essemus multum. Sunt enim superbi in suis equitaturis et faciliter pauperibus et peregrinis injurias inferunt. Cum ergo omnes pertransiissent, asinos nostros adscendimus, et per devexum adscendimus montis illius, a quo pars alia divisa fuerat. Est autem ascensus ille adeo praeceps, quod in bestiis sedentes non poteramus manere, sed ad manus sursum bestias post nos duximus usque in supercilium montis. Ad hoc autem solummodo ascendimus, ut urbem illam maximam Cairum ex toto videremus, et cursum Nili fluminis, et regiones superioris et inferioris Aegypti, et castrum Soldani, et alia, quae omnia vidimus, et moram satis longam in monte fecimus. Hic mons celeberrimus habetur, quia in eo erat quondam oratorium prophetae Moysis; columna Nectabani Magi quondam regis Aegypti; sepultura Pompeji Magni, quondam proconsulis et tyranni Romani; argumentum et firmamentum catholicae fidei; spatimentum et delectamentum regis Soldani, et speculum totius Aegypti.

Primo ibi erat oratorium Moysis. Scimus enim, sacro testante eloquio, quod Dominus Deus in terra Aegypti crebris visionibus apparuit Moysi, dans ei praecepta de Aegypti plagis et de increpationibus Pharaonis et de ordinatione populi ad Aegypti exitum.

